Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31713
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Sic vero sub auctoritate superbia et humanus timor se sub humilitate palliat, ut sepe nec ille valeat considerare quid deo, nec iste quid debeat proximo. Nam ille eos qui sibi subiecti sunt conspiciens et ei cui omnes subiacent non intendit, in elatione attollitur et de elatione sua tamquam de auctoritate gloriatur. Iste vero non numquam dum timet ne maioris gratiam amittat atque per hoc aliquid temporalis damni sustineat, recta que intelligit occultat atque apud se tacitus ipsum timorem quo constringitur humilitatem nominat sed eum cui nichil vult dicere tacendo in cogitatione diiudicat. Fitque ut unde se humilem existimat, inde gravius sit superbus. Discernenda ergo sunt semper libertas et superbia, humilitas et timor, ne aut timor humilitatem aut se superbia libertatem fingat. Ezechiel itaque quia non solum populo sed etiam senioribus loqui mittebatur, ne incautum timorem humilitatem crederet, ne timere debeat admonetur cum dicitur: Ne timeas, et ne derogationis eorum verba pertimescat adiungitur: Neque sermones eorum metuas. Cur autem linguas derogantium timere non debeat etiam causa subiungitur cum protinus subinfertur: Quoniam increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas. Timendi enim hii essent quibus loqui mittebatur, si in fide et opere deo omnipotenti placuissent. Qui autem increduli et subversores sunt, in suis sermonibus derogantes timendi non sunt, quia stultum valde est si illis placere querimus quos deo non placere scimus. Debent autem haberi in metu et reverentia iudicia iustorum, quia membra omnipotentis dei sunt, et hoc ipsi in terra reprehendunt quod dominus argueret e celo. Nam perversorum derogatio vite nostre approbatio est, quia iam ostenditur nos aliquid iusticie habere si illis displicere incipimus qui non placent deo. Nemo enim potest in una eademque re omnipotenti deo atque eius hostibus gratus existere. Nam deo se amicum denegat qui eius placet inimico, et inimicis veritatis adversabitur qui eidem veritati in mente subiugatur. Unde sancti viri in vocis libere increpatione succensi eos ad sua odia excitare non metuunt quos dominum non diligere cognoscunt. Quod propheta ardenter exhibens creatori omnium quasi in munere obtulit dicens: Nonne qui oderunt te domine oderam, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt michi. Ac si aperte dicat: Pensa quantum te diligo, qui tuorum hostium excitare contra me inimicicias non pertimesco. Hinc iterum dicit: Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant michi, quoniam subsecutus sum iusticiam. Bonum valde est quod iustus tribuit, quando male agentibus libera voce contradicit. Sed perversi mala pro bonis retribuunt, cum iustis derogant, quia contra eos iusticie defensionem servant. Non enim iusti humana iudicia sed eterni iudicis examen aspiciunt, atque ideo derogantium verba contempnunt. Hinc etenim derogantibus corinthiis paulus dicebat